Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35408
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

uobis ut in omnibus semper omnem sufficienciam habentes habundetis in omne opus bonum sicut scriptum est: Dispersit dedit pauperibus. ¶ Sexto homo preparans se ad graciam debet feruenter liquescere cum multa clemencia. Unde dicitur i petri ij: Hec enim est gracia si propter conscienciam dei sustinet quis tristicias paciens iniuste. que enim est gracia si peccantes colaphizati suffertis. sed si benefacientes sufferetis hec est gracia apud deum. Sicut enim dura cera tangenti resistit. cera uero mollis cedit. Ita homo durus et inmitis passionibus et iniuriis resistit. crudeliter se uindicando. homo uero mitis iniuriis cedit paciencius sustinendo. et ob hoc sicut cera mollis faciliter suscipit figuram sigilli sibi impressi. ita cor mite obediencie graciam dei suscipit. Iuxta illud psalmi: Docebit mites uias suas.

¶ Septimo homo preparans se ad graciam debet respuere ualentem peccata difformia. Unde i petri i: Succincti lumbos mentis uestre sobrii et perfecti sperate in eam que offertur uobis graciam. Lumbos enim succingimus cum fluxum carnalis concupiscencie per uirtutem temperancie refrenamus ut sic malas temptaciones carnis respuentes simus temperati et modesti et mente et carne. Quibus enim restringimus per mentis mundiciam. sobrii autem sumus per carnis continenciam. et sic cum hiis hemoris custodiam. etiam perfecti et graciam consequimur. Iuxta illud prouerbiorum: Qui diligit cordis mundiciam propter graciam labiorum habebit amicum regem. Quam graciam nobis concedat.

Gracia plena.

Prius dictum est quod gracia habet vij efficacias quas in anima facit. et quod sunt septem preparaciones quibus homo ad graciam se disponit.

Nunc dicendum est quod gracia dulcissime uirginis marie habet speciales dignitates ultra omnem graciam angelicam et humanam. Est enim notandum quod in maria est gracia dignior ex dei approximacione. Unde Luc. ij: Dixit ad eam angelus: Inuenisti graciam apud deum. Hec gracia erat omnium graciarum dignior propter uicinitatem et approximacionem quam habuit ad deum. quia erat apud deum quem maria concepit. dei namque filius erat in marie uentre dicente angelo: Ecce concipies in utero et paries filium. Et erat gracia propior scilicet in eius mente. Gracia impleuit uirginis mentem. deus impleuit mentem et uentrem. Et unumquodque gracia propinquior deo quam maior apud deum quam gracia marie. que fuit ple-